



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

IV. Aliis fundamentis primæ sententiæ satisfit, & quod sit principium
proximum efficiens gratiæ exeitantis inquiritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

Ad locum
Psal.

respectum, seu inadæquatam conceptum, ut statim declarabo. Ad illud autem testimonium Psalmi præcedenti capite propositum, *Auxilium meum, qui fecit celum, & terram*, respondetur primò, auxilium illud etiam primum absolute dici, esse à solo Deo, quia ipse principaliter efficit illum actum, utiturque nostra facultate tanquam instrumento ad illum efficiendum. Vnde quia solus Deus potest illo modo efficere in nobis talem actum, & mouere potentiam, ut illum efficiat, ideo etiam dici potest tale auxilium esse à solo Deo, nam tunc etiam particula *solum* non excludit physicam efficientiam instrumentalem proximæ facultatis. Quod maximè est loquendo de illo actu sub nomine auxilij; nam ille actus habet duplicem respectum, vnum ad causam principalem, quæ est Deus, alium ad causam proximam instrumentalem, quæ est potentia, sub priori tamen habitudine habet rationem auxilij, quod proinde soli Deo meritò tribuitur; actus verò ipse ita fit à solo Deo, ut ab illo solo habeat initium, & ipse solus sit principalis causa physica ejus, moralis autem vnica; & ita ex parte hominis excluditur omne meritum, vel libera cooperatio, non verò physicus concursus potentie ad actum vitalem necessarius.

Ad locum
Apocal.

Ad locum autem Apocalyp. 3. *Ecce sto ad osium, & pulso*, respondetur in primis tactum Dei in corde altioris rationis esse, quam sit pulsus materialis ianuæ, nam pulsus Dei internus fit per voces internarum inspirationum, ac proinde per actus vitales: pulsus non debet esse accommodatus rei, quæ pulsatur, & ideo longè aliter pulsatur cor viuens, quam inanimata ianua. Deinde cum ibi adjungitur, *Si quis audierit vocem meam*, clarum est illam vocem Dei in corde non esse, nisi conceptionem aliquam mentis, ut supra explicauimus. Dicit autem solet quis audire vocem Dei internam, vel quando ita illam audit, ut ei etiam obediat, quomodo potest intelligi illud Psalm. 84.

Psalm. 84.

Audiam quid loquatur in me Dominus, vel quando percipit ipsam inspirationem Dei, etiam illi resistit, quomodo potest intelligi illud Psalm. 94.

Psalm. 94.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Vtque ergo modo potest hoc verbum in prædicto loco sumi, & in priori Deus tangit cor per inspirationem, homo autem audit per consensum, & ita non procedit obiectio. In posteriori autem sensu, qui videtur satis consentaneus cum dicitur, *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam*, id est, cor, quod per consensum aperitur, & ita audire videtur poni tanquam quid præuium ad consensum. Et in hac significatione audire, nihil aliud est, quam percipere inspirationem diuinam, seu sentire tactum eius. Atque hoc modo si loquamur de inspiratione, vel illuminatione prout est in intellectu, optimè fieri potest, ut eademmet operatio prout à Deo fit, sit & recipitur in intellectu, sit pulsus Dei in corde, prout verò fit, & recipitur in intellectu, sit auditus ejusdem inspirationis, ita enim fieri facile potest in locutione pure mentali. Neque in hoc comparandus est materialis pulsus cum spirituali, quia materialis pulsus solum obiectiue immutat sensum, & media specie efficit intellectum; pulsus autem diuinus merè internus si intellectualis sit, immediatè, ac formaliter efficit intellectum, & reddit illum attendentem, & aliquid apprehendentem, vel intelligentem, & ideo eodem actu percipit intellectus eandem Dei locutionem, quatenus perceptio mentis in se virtualiter reflectitur, nam qui aliquid denuo apprehendit, simul virtute concipit, quod aliquid apprehendat, & consequenter quod ab aliquo exercetur, & moueatur. Si autem inspiratio sit in vo-

Eadem operatio prout à Deo fit est pulsus prout fit & recipitur in intellectu est auditus.

luntate, talis motus non percipitur nisi per integritatem, atque ideo per alium actum ex priori naturaliter resultantem, & ita ibi clariùs distinguitur pulsus ab auditu.

CAPVT IV.

Alijs fundamentis primæ sententiæ satisfactis, & quod sit principium proximum efficiens gratiæ excitantis inquiruntur.

Alia fundamenta primæ sententiæ petunt dubium, si actus gratiæ excitantis effectiue sunt à nostris potentiis, quæ virtute proximè, vel quoad adiutorem proximo illos efficiant; supponimus enim nunc illos actus esse supernaturales, & ideo non posse à sola naturali potentia virtute sua elici, propter hanc enim rationem præcipue moti sunt dicti auctores ad dicendum infundi nobis aliam gratiam priorem his actibus, quæ sit principium illorum, quam volunt esse rem creatam, & inherentem potentie ipsa distinctam ab actu gratiæ existentis, & principium eius, quam alij vocant motionem, virtuosam puram, ita ut qualitas non sit. Alij dicunt esse qualitatem actuale, seu transeuntem in nobis receptam, & nullo modo à nobis factam.

Ergo verò confesso nullam talem entitatem infundi, quæ sit prior tempore, vel natura ipso actu gratiæ excitantis, vel principium proximum ejus, sed solum Spiritum sanctum immediatè ac per se ipsum infundere hos actus eleuando potentiam ad efficiendum illos. Probatur primò ex his quæ diximus, nimirum gratiam excitantem esse priorem, quam nobis infunditur, ut Patres & Concilia docent. Dicunt fortasse sub hac excitante gratia includere Concilia illam priorem gratiam, quæ ad efficiendam inspirationem infunditur. Sed qui hoc respondet, ostendere hoc debet ex ipsis Conciliis, aut Patribus, in illis enim nullum vestigium talis gratiæ inuenimus, quin potius ipsam inspirationem ponunt ut gratiam primam, & præterea indicant immediatè infundi ab ipso Spiritu sancto, & non mediante alia qualitate. Vnde Concilium Arausic. can. 6. de huiusmodi inspiratione ait: *Si in nobis per sancti Spiritus infusionem, & operationem, & per hanc dicit præparari voluntatem à Domino, & cap. 6. similiter vocat inspirationem, & infusionem sancti Spiritus, & eodem modo loquitur Concilium Tridentinum*. Vnde etiam communiter Theologi antiqui non docuerunt infundi nobis aliquod donum gratiæ per modum actus primi præter habitus infusos. Certum est enim ad alliciendum actum gratiæ excitantis non infundi habitum, nullus enim supernaturalis habitus infunditur adulto, nisi præuio consensu libero, tanquam necessaria dispositione, ut infra dicitur, ergo talis gratia, quæ sit prior actu secundo, & est principium eius, & non habitus, non habet fundamentum in aliqua doctrina Patrum, aut Theologorum.

Denique ratione impugnatur tale genus gratiæ expendendo dictos duos modos explicandi hanc gratiam: prior dicit, esse spirituales quandam, & supernaturalem motionem virtuosam, quæ est res distincta ab actu vitali; & à solo Deo immissa, & non est qualitas vel formaliter, vel realiter, sed pura tantum motio virtuosæ, per quam Deus dat virtutem potentie, vel eleuat illam ad hos

hos actus efficiendos. Hic verò dicendi modus supponit hanc motionem constituere potentiam in actu primo ad hos actus eliciendos, & nihilominus aut non esse qualitatem, sed puram motionem, quod gratis dictum videtur, nam in potentis animæ firmæ constituentes illas in actu primo sunt qualitates, ut in sensibus externis, & internis videre licet, præterquam quod generaliter loquendo secundum Philosophorum principia non intelligimus, qualis sit motio, quæ tantum sit motio, & non sit qualitas, nec res alterius prædicamenti, cum non possit intelligi motio, quin ad aliquem terminum intrinsecum tendat: in motione autem spirituali non potest intelligi terminus actionis, vel motionis, nisi qualitas, omitto enim locum, aut ubi quaecumque illud sit, quod in rebus spiritualibus esse potest, quia in præsentem considerationem venire non potest: si ergo motio illa nullam qualitatem infundit intellectui, aut voluntati, non habet intrinsecum terminum qui per illam fiat, quomodo ergo est pura motio, vel ad quid mouet, eo vel maxime quod talis motio si ponitur per modum actionis, est actio transiens, nam est ab agente Deo, & recipitur in passio. Non solent autem dicti auctores actionem transeuntem in Deo concedere, neque scio auctorem aliquem actionem transeuntem sine termino hæcenus posuisse. Vel illa motio est tantum per modum passionis, & sic concipi non potest, nisi per modum viæ, ac proinde per modum tendentiæ ad aliquem terminum: nam si nec est via, nec tendentiæ, erit profecto entitas aliqua facta à Deo in tali potentia solum per modum effectus. Oportebit ergo ut sit qualitas, alioqui extra omnia prædicamenta vagabitur, ut facile patebit discurrere per singula: id autem concedere philosophicum non est, neque etiam est, quod Theologia attribuiamus, quod nos cogat contradiçia Principia Philosophiæ huiusmodi entitates intro-ducere.

non plures, etiam sine certo termino postulari poterunt. Alium ergo modum dicti auctores eligunt, à quibus nos ulterius interrogamus, an illa motio sit eiusdem rationis, quando datur ad operandum, tam ex habitu, quam sine illo, an verò sit diuersæ rationis. Hoc posterius non videtur verisimile, quia motiones illæ supponuntur tendere ad actus, & quasi terminos eiusdem rationis: motiones autem sumunt speciem à terminis, cur ergo erunt illæ diuersæ rationis. Nam quod is, cui datur, quælibet illarum habeat, vel non habeat habitum, valde accidentarium est, & in hoc etiam distinctiones multiplicare sine alia ratione, vel explicatione philosophicum non est.

Vnde illi auctores priorem partem eligunt, dicentes, motiones illas esse eiusdem rationis, Ex quo necesse est sequi, ut vel illa motio data potentia non habenti habitum, non suppleat vicem habitus, nec constituat potentiam in actu primo, nec compleat illam in ratione causæ proximæ, sed solum sit concursus causæ primæ, quod destruit sententiam illorum, & nostram confirmat, vel certe oportebit dicere, eum qui operatur ex habitu infuso, recipere duos actus primos, habitum scilicet, & motionem. Sequela patet, quia illa motio data potentia non habenti habitum, formaliter constituit illam in actu primo, ergo etiam data potentia actus primi habenti habitum dabit eundem effectum, quia neque habitus præexistens formalem effectum motionis impedire potest, neque forma potest esse impotens, quin illi suum effectum formalem conferat. Habet ergo illa potentia duos actus primos, duæque virtutes activas proximæ ad eundem actum, quod superfluum est.

Præterea ex illo duplici actu primo maior prodiret actio, quam ab altero tantum, sicut à duplici luminoso, maior sit illuminatio, quia si motio est per se sufficiens actus primus, sine miraculo impediri non potest, quin operante potentia cum habitu, ipsa etiam motio cooperetur non solum ut concursus Dei, sed etiam ut actus primus potentia. Ex quo ulterius posset quis facile inferre, superfluos esse habitus operatiuos infusos, cum nunquam operentur sine aliquo actu primo magis actuali, de se dante sufficientem virtutem in actu primo ad efficiendos eosdem actus. Neque tandem dici potest, illas duas motiones esse eiusdem rationis in operante sine habitu, & cum illo, & nihilominus unam illarum ratione suæ entitatis dare vim agendi habitus, & alteram de se non habere tantam perfectionem, quia si forma est eiusdem rationis, etiam vis agendi, & formalis effectus eiusdem rationis esse debet. Et hæc obiter de ista motione sint, dicta, nam plura in sequentibus sunt dicenda.

Supereft alter modus explicandi gratiam præuiam ad hos actus excitantis gratiæ, qui solum aliter differt à præcedenti, quia non dicit hanc gratiam esse motionem, sed qualitatem quandam actualem, seu transeuntem, quæ sit principium supernaturalis, & proximum talis actus. Cuius opinionis fundamentum ex parte est idem, scilicet, quod non potest potentia elicere actum secundum naturalem, nisi habeat actum primum eiusdem ordinis sibi inherenter. Quod autem hic actus primus sit qualitas, probari potest argumentis factis contra priorem sententiam: vocatur autem à sic opinantibus actualis, seu transiens, qui solum datur ut actualiter efficiat, & quia tantum durat, quandiu efficit, seu quamdiu durat operatio, propter quam datur, sicut ictus impressus lapidi, ut sursum moueatur, dici potest qualitas actualis, & transiens propter similem rationem, in reliquis verò conuenit hæc opinio cum præcedenti,

Illæ motiones nequeut esse eiusdem rationis.

Primo quia daretur duo actus primi ad eundem actum.

Secundo maior ex triplici actu primo prodiret actio.

Tertio superflui esset habitus.

Eadem motiones non sunt eiusdem rationis in operante sine habitu.

Proponitur aliter explicandi modus per qualitatem transeuntem.

Relucitur.

nam etiam qui de illa gratia sic sentiunt, ponunt præuiam gratiam per modum concursus: & ita eodem modo procedit discursus factus in præcedenti opinione. Nam si per qualitatem intelligunt solum concursum præuium, ille non satis est, ut suppleat vicem habitus, neque ut constituat potentiam in actu primo: si verò in his actibus gratia excitantis præter concursum præuium ponunt qualitatem realiter ab ipso distinctam; sic multiplicatur entia & auxilia gratia sine fundamento auctoritatis, aut rationis, vel sentiunt ipsum concursum præuium includere illam qualitatem, & sic aut eadem qualitas dabitur homini operanti per habitum, quod etiam superfluum est, ut declarauimus, vel concursus præuius erit distincta rationis in eo, qui cum habitu, vel sine habitu operatur, quod ipsi non admittunt.

Dubium secundum.
Noua eiusdem qualitatis admittende ratio.

Quidquid verò sit de concursu præui, potest quis dicere hanc præuiam qualitatem per modum actus primi esse necessariam ad hos actus gratia excitantis eliciendos per se, & propter insufficientiam potentia, etiam si fortasse alius concursus præuius necessarius non sit. Quod si hæc necessitas vera est, satisque fundata non tantum in actibus gratia excitantis, sed etiam in multis actibus plenè deliberatis, & propriè gratiæ cooperantis, qui tempore, vel natura infusione gratia habitualis antecedunt, inueniuntur, & ideo tractando de illis actibus in ordine iustificationis examinandum est à quo principio proximo supernaturali procedant, & ibi commodius & vniuersalius opinionem hanc expendimus. Nunc ergo solum dicimus ad questionem præsentem parum referre, siue illa qualitas infundatur cum actu gratia excitantis, siue non: nam si fortasse infunditur, computatur tanquam vnum donum cum ipsa excitatione, & ipsa per se non meretur nomen gratia excitantis, neque Augustinus, neque Concilium Tridentinum aliter ea voce vtuntur, nisi ad significandam gratiam, quæ potentiam formaliter excitat, ac moraliter moueat, & dirigat, vel trahat, afficiat, vel regat. His enim, & similibus verbis perpetuò Augustinus vtitur, cum excitantem gratiam, & efficiens excitationem, ut dicatur propriè auxilium excitans nisi vtendo terminis æquiuocè, & præter vltimum, morem Conciliorum, alioquin etiam Deus ipse poterit dici gratia, vel auxilium excitans: nam est principale principium efficiens in nobis excitationem. Fateor tamen contentionem hanc fore tantum de vsu vocis, si semel qualitas illa admittatur.

Affertio 2.
Nulla huiusmodi qualitatis necessitas est, neque vsus. Prior pars ostenditur.

Ego verò qualitatem illam neque necessariam esse censeo, neque esse cur credamus illam infundi; priorem partem ostendo, quia probabilius est, posse Deum eleuare potentiam animæ, ad eliciendum actum supernaturalem, sine habitu, & sine qualitate inherente, supplente vicem eius, scilicet adiuuante ipso Deo, & per seipsum supplente efficacia habitus; quod de visione beatifica suo loco probauimus, & infra cap. 6. & 8. latius dicam, quia cum actus non sit vitalis ex influxu habitus, sed ex influxu potentia vitalis, qui est distinctus, & in suo genere proximus, potest Deus per seipsum facile supplere efficientiam habitus, quia secluso vitali influxu, quidquid Deus potest facere per causam secundam, potest facere se solo; ita ergo in præfenti potest infundere immediatè ipsi potentia actum vitalem gratia excitantis, cooperante simul potentia, & in actum illum vitaliter influente: hac ergo ratione non est necessaria simpliciter talis qualitas.

Posterior pars.

Alteram verò partem de facto, quam verisimiliorem credimus, per rationes supra factas, uincunt tantum probamus, alias enim in citatum locum re-

mittimus, quæ de actibus liberis specialiter procedunt, in quibus illa sententia maiorem habet difficultatem, quam in his actibus gratia excitantis, eo quod necessarij sint; nihilominus tamen ad illos efficiendos non credimus dari talem qualitatem, quia fortè non est possibilis spiritualis qualitas, quæ non sit actus vitalis, sed per modum actus primi, & sit natura sua transiens, & quæ si dependens à suo effectu, nam si ab illo non pendet, cur cessante illo statim corrumpitur, cum sit in subiecto incorruptibilis, & à nullo contrario expellatur, neque habeat aham causam corruptionis, præter suspensionem influxus diuini, per quam etiam habitus infusus, imò & anima ipsa potest esse animata.

Neque potest assignari ratio, cur suspensio illa diuini influxus sit magis connaturalis, aut debita illi qualitati, quam habitibus, vel alijs similibus. Præterea, quia quoties potentia operatur supernaturali actum sine habitu infuso, non elicit illum connaturali modo, nam ad hoc datur habitus, & ideo non est necesse, ut ad operandum eleuetur per qualitatem inherenter præuiam, nam cum illa non sit permanens in potentia post operationem, & tunc potentia eleuetur ad agendum præternaturali modo, tanquam Dei instrumentum, superuacanea est illa qualitas, cum spiritus sanctus ipse immediatè possit vti potentiis animæ illo modo infundendo illis illuminationem, ac inspirationem, ut Concilia magis indicant.

Neque hinc sequitur, quod primum auxilium gratia sit à nobis, vel à natura, integrè, vel ex parte. Quia in primis illa gratia excitans principaliter est à spiritu sancto. Deinde datur omnino gratis, & sine vilo merito, vel dispositione nostra, imò & sine cooperatione libera nostra, ut statim dicemus; & ob has omnes, & solas causas dicitur non esse à nobis, ut constat ex Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagiorum cep. 3. Deinde intellectus, vel voluntas non solum non habet vires naturales, ad efficiendum talem actum sufficientes, verum etiam neque ad illum concurrat per potentiam naturalem sed per obedientiam tanquam spiritus sancti organum, & ideo nullo modo dici potest ille actus esse à natura, licet verisimè dicatur ab intellectu, vel voluntate à spiritu sancto specialiter motis, seu eleuatis produci.

Et ita facile patet responsio ad fundamenta contrariæ sententiæ, in primo, & secundo capite proposita. Ad principale enim vltimo loco positum concedimus nunc (quod infra superest videndum) actum gratia excitantis esse supernaturalem, ideoque non posse fieri viribus naturæ, & consequenter esse necessarium principium superioris ordinis adiuuans, & eleuans potentiam. Dicimus autem hoc principium esse ipsummet spiritum sanctum. Ad primam verò replicam, quia illud principium debet esse inherens, ut constituat potentia in actu primo; respondemus duplicem, secundum rationem, esse influxum in illum actum, vnum interinfusum, & vitalem, qui necessariò esse debet immediatè ab entitate ipsius potentia, & ideo respectu illius non constituitur potentia in actu primo per aliquid à se distinctum, sed per potentiam obedientialem, quæ ab entitate eius non distinguitur. Alius permodum est influxus ex parte principij coadiuuantis potentiam ad substantiam actus, & ad hunc influxum ut per modum connaturali modo fiat necessarius, est actus primus inherens potentia: ut autem fiat præternaturali modo non debito potentia, satis est quod sit à principio superiori assistente ipsi potentia, ut est ipsummet spiritus sanctus. Neque oportet ad alia proposita in capite primo sigillatim respondere, quia spiritus sanctus infra explicandum est vitalitatem actus supernaturalis.

ruralis esse posse ab ipsa facultate per potentiam obediētialem influente. Item dictum est quomodo hæc gratia pendeat à solo Deo, ut excludit, vel meretur, vel naturalem influxum potentia, non verò ut excludit omnem efficientiam per potentiam obediētialem. Ac tandem manifestum ex dictis est, etiam de his actibus verissimè dici, non esse nos sufficientes ad illos habendos à nobis, quasi ex nobis, quia tota efficientia imò & efficacia illorum est ab Spiritu sancto, ut declaratum est.

CAPVT V.

Utrum motus gratia excitantis sint indeliberati, ita ut ex necessitate, non libertate fiant.

Ratio dubitandi esse potest, quia gratia excitans est necessaria ad salutem, & ad bene operandum: motus autem indeliberati, præsertim voluntatis, nihil conferunt ad salutem, quia nec moraliter boni, neque meritorij esse possunt, ergo non potest gratia excitans in his motibus consistere. Deinde quoties Sancti postulant à Deo dona gratia, non postulant ab ipso motus indeliberatos, sed morales ac perfectè humanos; ergo signum est indeliberatos motus non pertinere ad dona gratia, præsertim quæ sunt ad salutem necessaria: nam omnia hujusmodi dona frequenter postulantur à Sanctis, ut passim in Scriptura constat, & refert latè Augustinus in lib. de Grat. Christi, & de nat. & grat. & de Grat. & lib. arbitr. & alijs, inde ostendens gratia necessitatem. Vnde è contrario, ex eo quòd tales motus non postulantur à Deo, rectè inferimus non pertinere ad dona gratia. Denique inductione id ostenditur. nam actus fidei liber est, & gratia excitans ad ipsum spes etiam est actus liber, & tamen excitat ad charitatem; similiter timor voluntatis, est actus liber, & excitat ad poenitentiam, & sic de alijs, ergo non oportet, ut gratia excitans sit actus indeliberatus.

Nihilominus dicendum est proprios actus purè excitantis gratia liberos non posse esse, sed necessitate quadam sine operantis deliberatione fieri, & in hoc sensu rectè indeliberatos dici. Assertio est communiter recepta à Theologis in c. 2. allegatis: nam Vega tam necessarios putat hos motus gratia excitantis, ut homo passivè in eis recipiendis tantum se habet. Alij verò licet dicant efficienter à nobis elici, dicunt tamen fieri sine cooperatione libera; & in fine ejusdem capituli explicauimus de his actibus sententiam Concilij Arausic. & August. multa esse in homine bona quæ non facit homo, utique liberè cooperando, propter quòd dicuntur hi actus à solo Deo fieri, ut loquitur Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 9. dicens, in vno istorum (id est, in actu deliberato) cooperatur Deus homini facienti, alterum verò (id est, actum gratia excitantis) solus facit, ergo talis actus non est liber, quia sine cooperatione hominis libera, non sit actus liber. Dices, est non fit talis actus in se, & proximè formaliter liber, nihilominus potest esse aliquo modo liber, quatenus pendet ex aliqua dispositione libera, sine qua nõ daretur. Respondetur nos nunc loqui prior modo, & cum proprietate de actu libero: deinde addimus licet fortasse aliqua gratia excitans sit ex prior dispositione libera hominis, nihilominus totam gratiam excitantem hoc modo liberam esse non posse, quia prima dispositio libera priorem excitantem gratiam necessariò supponit, ut inferri ostendimus.

Vnde argumentor secundò: nam vocatio est gratia excitans, ut supra visum est, sed vocatio non est homini libera, quia non est in potestate ejus, & ideo non potest ipsi attribui, ergo etiam gratia excitans non est libera. Minor. est Augustini lib. 83. questionum in 68. dicentis. Si quis sibi tribuat, quod veniat vocatus, non tamen potest sibi tribuere, quòd vocatus sit, quia nimirum venire est liberum homini, non autem vocari: & ideo Paulus primum prædestinationis effectum posuit in vocatione, dicens ad Roman. 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit: & in cap. 9. ut declararet opus gratia, dixit: non ex operibus, sed ex vocante, quia ex vocatione, quæ à solo Deo est, gratia opus incipit, ut latè ponderat Augustinus dicta qu. 2. ad Simplician. dicens, nisi vocando præcedat misericordia Dei, neque credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat iustificari. Et infra dicit, quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quòd bene volumus, nobis verò tribui non potest quòd vocamur. Non est ergo nobis libera vocatio: unde multo minus est in potestate hominis, quòd hoc, vel illo modo vocetur, sed in hoc maxime gratia Dei commendatur, ut dixit idem Augustinus lib. de Spiritu & liter. cap. 34. ubi docet piam voluntatem diuino muneri tribui, quia visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, siue extrinsecus per evangelicas exhortationes, siue intrinsecus ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem. Antecedit ergo hæc gratia potestatem hominis, & à fortiori etiam vsum libertatis præcedit, non ergo consistit in actu libero, sed necessario.

Ratio denique ex eisdem locis Augustini sumitur, quia hæc gratia hominem quasi dormientem vel non attendentem ad vigilandum, vel attendentem excitat, ergo ex modo suo habet, ut à foris veniat, & non ab ipso homine, ergo ex propria ratione habet, ut non sit libera, & ideo satis indicatur hæc proprietas hujus gratia illis verbis, Ego solum ad osium, & pulso, Apocal. 3. & in ipso nomine vocationis includitur. nam vocatio non est à vocato, sed à vocante. Vnde est illud Proverbi. 1. Vocari, & renuissis. Deinde excitatio hæc ab intellectu incipit, quia non potest voluntas dum excitat nili per intellectum excitari: intellectus autem excitari potest medio objecto ab extrinseco agente proposito. Primus ergo actus excitantis gratia in intellectu est; ille ergo actus non potest esse liber, cum antecedit motionem voluntatis, quæ sola est formaliter libera. Et hoc modo reducit sæpe Augustinus hanc primam excitantem gratiam ad sanctam, & piam cogitationem, ut libro 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 8. & de prædestinatione Sanctorum cap. 2. sic interpretans illud Pauli, Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Et eodem modo dixit Bernardus lib. de Grat. & lib. arbitr. Deum inchoare gratiam in nobis dum seminat cogitatum. Est autem quasi naturalis modus operandi voluntatis nostræ, ut præuenta cogitatione aliqua, per quam sibi objectum fugiendum vel prosequendum proponitur, statim in actum indeliberatum prodeat, priusquam intellectus plenè aduertat ut deliberare possit, ut ergo Deus in his motibus gratia sese accomodat naturæ, & ut utramque potentiam iuuet, per illam cogitationem intellectus statim mouet, & excitat voluntatem ad aliquem effectum amoris, vel timoris, prosecutionis, aut fugæ, qui proinde indeliberatus est, & per modum motus, quem primò primum appellant.

Dices hinc soliti includi vnum actum intellectus, & alterum voluntatis, esse non liberum in ordine gratia excitantis. Respondetur in primis hos

3.
Probat
secundò.

Augu.

Rom. 8. 29.
Rom. 9. 12.

4.
Probat
tertiò ratio
ne ex Augu-
stino de-
sumpta.
Gratia ho-
minem qua-
si dormien-
tem vel non
attendentem
excitat.

Augu.

5.
Effugit
Occidit.